

**Rector Et Concilium Academiae Rostochiensis Civibus Studiosis, Pro Eorum
Ratione Et Qualitate Salvtem, Et Morum Correctionem Pr. : P. P. sub sigillo
Rectoratus Ao. cl cl ccxli d. 9 Julii**

[S.l.], 1741

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791122697>

Druck Freier  Zugang



Leges etc
Academiae Rostochiensis

Universitäts-Archiv
Rostock, Sign. ~~RIA 4~~

RIA 4

N. l. — 47. ^{1-69.}



6.

9 Jul. 741.

RECTOR ET CONCILIUM

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

CIVIBVS STUDIOVIS, PRO EORVM RATIONE ET QUALITATE SALVTEM, ET MORVM
CORRECTIONEM PR.




Ria sunt, Ciues Nobilissimi, ex quibus, publico hoc Programme, Vestrum nonnulli compellendi nobis sunt, capita. Cuncta pro scopo habent correctiorem, moratioremque vitam vestram in cursu academico. Primum spectat ad illos, qui licentia, actionem comicam publice insituenti, a nobis tandem nuper indulta, abusi, postulatam a nobis, datamque a se, nequid in actione occurreret obsceni & indecori, fidem, audacter fefellerunt. Non enim procul abfuerunt a morum turpitudine nonnulla, quae verecundia, honestas, & erga superiores, imo spectatae virtutis viros alios praesentes reuerentia omnino prohibere potuisset, debuisset. Hoc itaque non expectato abusu induci, & ut exteris quoque, nos, quae Studiosos literarum dedecent, neutiquam tolerare velle, constat; hoc programme notum facimus, reuocatum confirmatumque illud esse conclusum, de non concedenda in posterum istius generis actione siue comico-sive tragico-mimica. Sciatis igitur, illam vobis neutiquam permitti, quando hoc loco praesentes degunt tales homines, qui e theatro lucrum quaerunt & victum. Praeter illum interea casum, ut libere dicendi, geniumque experiendi honestum exercitium habeatis, actionem innocuam, si placuerit, insituenti, consensum nostrum facile obtinebitis: modo ipsius actionis conspectum, prout in chartam ille conjici potest, Rectoris iudicio, ut honeste omnia fieri sciamus, censuraeque submiseritis.

Secundum caput illos tangit, qui procul habita modestia, neglectaque bona existimatione, qua Musarum filii ab helluonibus & procacioris cohortis sociis quibuscunque distingui debent, ex aliquo tempore tentarunt irruere in aedes, in quibus aut nuptias celebrari, aut societatem quandam hilariter terere, choreisque delectari intellexerunt. Rusticitas nempe, imo ferocia est, non inuitatum se aliis obtrudere, laetis inter sese, bacchantium more, molestias creare, iisque necessitatem obicere, ut vino, cereuisa, tabaco ab hospitibus non expeditis, militum more se ingerentibus, pacem sibi & quietem emere debeant. Quid de vobis in hoc passu iudicetur, & quantopere bonam vestram famam in discrimen adducatis, quis est vestrum, qui id conicere non queat? Quasi vero tanta rerum inopia vos premat, ut aliorum sumptibus gulae pabulum, quo possitis loco, exquiratis miseri combibones! *Ecquid majorem elegantis vestri ordinis penes cunctos contemtum producere valet, & quam vilis tandem apud hos, qui, quod nonnulli peccant, omnibus imputare consueverunt, nota erit Studiosi? Redundabit dedecus tandem in nos, qui obicem graecantibus non satis serio posuisse, ab imperitis facile iudicabimur.* Date ergo hoc & vestro & nostro honori, ut posthac ab illa desistatis intemperie, illosque vos geratis, qui literis egregiis mores quoque conformare dicimini! Nolite eo usque pergere, ut indecorum vitae genus carcere, multa, consiliis abeundi, & quae alia sunt, violentis remediis compescere cogamur! In sinu gaudebimus, si mutata vestrae vitae ratione, hoc efficiatis, ut Studiofo Rostochiense honestior & moralior dicatur vix quisquam alius.

Tertium caput pertinet ad hos, qui nocturnis clamoribus, plateas peruagantes, aërem totamque urbem complent vigiles intempestiui & a nemine conducti: quibus oppido satius foret, propriis viribus & sanitati parcere, iustoque tempore somnum capere ipsi, quam somnum aliorum interrumpere. Inquieti hi noctambuli praeterea honori sibi ducunt, quod, quanti sint heroes, quanta, scilicet, polleant fortitudine, sub tenebrarum fauore demonstrant, increpando, criminando, prouocando, inuadendo vigiles vrbis publicos. Hoc faciunt non alio fine & successu, quam vt, vbi diu lacefferi vigiles se tandem sistunt, fortitudine repente extincta, salutem suam in fuga quaerant; aut, scubiconflictum magnanimi constantia sustinent, praeter capita duriter vulnerata, brachia cruraque misere concussa, nisi omnino confracta, terga egregie dedolata, nulla reportent alia trophaea. Adeo, ut haec talia reportare (meliora enim sperare nequeunt) vitam & membrorum incolumitatem sine omni causa frivole exponere, hoc est, cum ratione insanire voluisse, omnium iudicio existimari debeant. Nimirum ex hoc bello totjam retro annis nemo Studiofius superior unquam rediit, plures autem manci mutilique euaserunt, temeritatis iuuenilis memoriam, non sine insigni animi dolore, per totam vitam retinentes. Bone Deus! quam ridiculum, absque belli causa, bellum! quam inconsultum est, hostem cupere in statu pacis leuatae fortitudo est, suisque semet ipsum sponte obicere? quae ratio est, de vita & membrorum incolumitate praeter necessitatem et finem periclitari? Proprius certe amor ab hoc bello vos arcere, deberet aut si quae quosdam stimulat exorbitans fortitudo, consilium iis, ut Martis, non Apollinis castra sequantur, capiendum esset. Si vitam, si membra, si valetudinem intuper habetis, aut honorem aut mortem consecrandi frequens nunc est, vbi tubae sonant et tympana, neutiquam heic in Academia, locus. Fautis ergo id vobis exponendum est, nisi abstineritis ab inconsulta ista vigillum publicorum criminatione & prouocatione, nisi que propria praecaueritis damna, certe iis, quorum nomina facile comperiemus, illosque conuictos habebimus, ex hac alma abeundi consilium, sine ambagibus suppeditabimus. Quid enim Musis rei erit cum iniquo Mauorte? Rara prohi! avis est inter complures vestrum timor Domini, conscientiae custodia, erga superiores reuerentia, & quid vobis ipsis conducatur, prudens consideratio. Hinc non mirum, quod apud illos nec leges aliquid valeant, nec seriae exhortationes. Quibus tamen, vt pondus tandem addamus, flagitat necessitas, postulat omnino officii nostri ratio. Valet, & quid e re vestra sit, tempestiue attendite!

P. P. sub sigillo Rectoratus

Ao. clo q̄ cckli. d. 9 Julii,




IV. Qui cantitantes vel vociferantes per plateas vagantur, vel in diuerforiis publicis, immo & in tricliniis priuatis aera concentibus implent, prima quidem vice noxam octo dierum carcere, & commensalis communis insuper unius mensis carentia, luent. Quod si post hanc correctionem incorrigibiles se prodant, consilio abeundi, necessitas emigrandi eis imponetur.

V. Eidem poenae obnoxio cogunt, vel per ambages ad conuiuia veteranis parandum, quo aduentur, sed prauis quoque sodalitatibus, qui sumtu nouitii epulati sunt, buntur, iis, qui mensa communi ab isto beneficio excludendis, inebriationes & tande oriundacacius impediuntur, abhinc pl

VI. Poenae legum tracta a Rectore & Concilio nec mino remittendae, sed ad tenore executioni mandandae erunt.

VII. Nocturnos strepibus incolarum vel personae & clamores inconditos vel hibuerunt: ita earum violat securitatis nocturnae & tran custodiae militari tradentur Rector Academiae vel de e



acade-